



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90118014**

§. 56. Ordo Militaris S. Jacobi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

nihil effectum, plurimique crediderunt, <sup>Sæcul. XII.</sup>  
 solum ideo astutum Principem hanc viam <sup>A. C. 1175.</sup>  
 tentasse, ut per inducias Longobardo-  
 rum, quibus fors armorum favebat,  
 successum in æstate suspenderet.

Inter hæc Papa, ut Alexandrinorum  
 civium fidem, Sacræ Sedi præstitam, be-  
 neficio remuneraretur, a S. Galdino Ar- <sup>Ital. Sacerd.</sup>  
 chiepiscopo Mediolanensi, Episcopis il- <sup>to. 4. p. 449.</sup>  
 lius provinciæ, & Longobardiæ Magi- <sup>Act. ap. Bara</sup>  
 stratibus rogatus, novam urbem Episco- <sup>1175.</sup>  
 patus honore donavit, primumque Epi-  
 scopum dedit Harduinum Ecclesiæ Ro-  
 manæ Subdiaconum, qui antequam sa-  
 cro oleo ungeretur decessit e vita. Con-  
 tra, ut a civitate Ticinensi pœnas expo-  
 sceret, quod diu Octaviani Antipapæ  
 & Friderici Imperatoris excommunicati  
 partibus favisset, Papa illum Episcopum  
 jure Crucis præferendæ & Pallii exuit.

## §. LVI.

*Ordo Militaris S. Jacobi.*

Eodem anno Alexander Papa Institutum <sup>to. 10. Conc.</sup>  
 novi Ordinis Militaris S. Jacobi in <sup>p. 1378.</sup>  
 Hispania confirmavit. Constabat vero  
 hic Ordo Clericis & Equitibus partim  
 cœlibatum colentibus, partim in conju-  
 gio viventibus, quorum uxores tanquam  
 Ordinis sorores habebantur. Instituti  
 ratio erat, Saracenos oppugnare, tum

F f f 5 ut

Sæcul. XII. ut ab eorum irruptionibus Christiani li-  
A.C. 1175. berarentur, tum ut nata occasione eos  
 ipsos ad Christi Fidem perducerent. E-  
 quitibus præpositus erat Magister, nomi-  
 nis Petrus Fernandez, præter plures alios  
 præfectos. Nihil proprium possidebant,  
 sed erat communio bonorum; quæ in re  
 exemplum primorum Hierosolymis Fi-  
 delium sequebantur. Ordini adstricti  
 erant, nec ad Sæculum redire, aut ad a-  
 liud Institutum transire, sine Magistri  
 consensu licebat. At Equitum viduæ  
 secundo nubere non prohibebantur. Om-  
 nia quæ armis occupassent, aut dona-  
 tione acquisivissent, non privatis, sed to-  
 ti Ordini adscribebantur, si modo illas  
 conditiones Saraceni tempore, quod omnem  
 hominum memoriam superaret, tenuis-  
 sent, licet etiam aliquis possessionis char-  
 tas tanto tempore antiquiores exhibuis-  
 set. Clerici ad Ordinem pertinentes  
 in Congregatione & Bonorum commu-  
 nione vivere tenebantur, superpelliceis  
 induebantur, Equitibus Sacramenta ad-  
 ministrabant, & eorum filios informabant.  
 Ipsorum erat regere Ecclesias ab Equiti-  
 bus ædificatas, quæ ab omni censu &  
 decimis, Episcopo dandis, liberæ erant.  
 Totus Ordo ab Interdictis generalibus  
 erat exemptus, & Ordinis membra, a ne-  
 mine nisi a Legato a latere vel Interdi-  
 cto vel Excommunicationi subjici pot-  
 erant,

erant, quod privilegium ad eorum fami- Sæcul. XII.  
 lias quoque & famulos extendebatur. A. C. 1175.  
 Ad hæc privilegia redimenda Ordo sin-  
 gulis annis Papæ decem *Malachin*, vul-  
 gare pecuniæ signatæ in Hispania genus,  
 persolvere tenebatur.

Hæc ex Bulla Alexandri Papæ, ap-  
 positis tredecim Cardinalium nominibus,  
 Ferentini, quinta Julii, anno millesimo  
 centesimo septuagesimo quinto, data,  
 cognoscimus.

## §. LVII.

*Hugucio Legatus in Anglia.*

Regem Angliæ vehementer offenderat *Gervas.*  
 Alienora conjux, quæ filios suos ar- an. 1175.  
 ma parenti inferentes consilio juverat.  
 Eam in munitissima quadam Arce custo-  
 diæ tradiderat; quin & divortium me-  
 ditari dicebatur, ac in eam rem præci-  
 pue Legatum a Papapetiisse credebatur.  
 Misit Papa Hugonem seu Hugucionem,  
 Cardinalem Diaconum Tituli S. Angeli,  
 seu S. Michaelis, de prosapia Petri Leonis  
 ortum. Eum sub finem mensis Octo-  
 bris anno millesimo centesimo septuage-  
 simo quinto in Angliam appulsum Rex  
 honore maximo, quem nempe blanditiis  
 capere cupiebat, excepit. Paucis post  
 adventum suum diebus potestatem fecit  
 Regi, qua actio mota est coram Regio  
 Præto-